

rare. Nos Jacobus Teupulo, Dei gratia, Veneciar. Dalmatiae, atque Croatie dux, Dominus quoque quartae partis, et dimidie totius imperii Romanie promittentes promittimus vobis universo populo Veneciar. maioribus et minoribus, et vestris heredibus, quod a modo in antea cunctis diebus, quibus Dn̄s in corpore nobis vitam habere concesserit in Ducatus, nostri regimine Veneciar. regimen faciemus et statum observabimus bona fide, sicut nostri observaverunt predecessores.

Studioſi erimus ad racionem et iusticiam omnibus, qui eam quesierint et queri fecerint exhibenda sine dilatione aliqua, bona fide, sine fraude; et ad leges et iusticias complendas secundū usū factum et confirmatum olim, et de cetero confirmandū, que iudicio Judicum fuerint promulgatae. Studioſi erimus bona fide similiter, sine fraude, et nullum amicū vel inimicum iuavimus vel nocebimus in fraudem (1).

De placitis autem illis, que ante nos venerint, nullum per fraudem aliquā dilatabimus, et si judices in proferenda lege discordes aliquando apparuerint, unde nos legem dicere debeamus in meliorem partem, que nobis videbitur secundum usum nos ponemus, et ubi usus nobis defecerit dicemus secundū nostram conscientiam sine fraude.

Nullum servicium tollemus, nec tolli faciemus, et si per nos aliquis servicium tulerit, ex quo nobis notum fuerit, faciemus ipsū reddi bona fide sine fraude.

Honorem autem, et proficuum Venec. consiliabimus, tractabimus, et operabimus bona fide sine fraude. Et illam partem in consilio capiemus, que nobis magis racionabilis apparebit. Omnia quoque consilia secreta, que nos cū maiori parte consiliarior. nostror. teneri iusserimus secrete tenebimus secundū ordinem, quem nos precipiemus. Et si in nostro tempore alicui persone, vel personis de habere, vel possessionibus, aut redditibus Communis Venetiar., aliquid datum, vel collaudatum fuerit, dacionem illam, vel collaudacionē illam firmam non habebimus, nisi prius pro maiori parte consilii maioris et minoris consiliata fuerit et confirmata.

(1) *Ut nullum amicum vel inimicum nrum particularem habeam, nulli iuavimus aut nocebimus, nisi R. P. causa. Cod. Cicogna.*